



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

VI. De Avaritia. Malitia ejus perstringitur. Collatio pauperis & divitis. Opum
fallacia, & vanitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

quium, quicumque tuam optas salutem. Suum morem illa retinet, semper hominem expellit è paradiso.

4. Familiare hic est, multas prætexere excusationes necessitatis, consuetudinis, puræ intentionis: sed latitant sub specie boni ingentia mala. Indè enim profluunt nocitura libertates, incauta colloquia, gestus leviores, modestiæ neglectus, crebra munuscula, & quædam hilaritudines, quibus paulatim deponitur pudor, & tota demum exiit verecundia. Crescunt hæc per intervalla; & qui rubore suffusus, ad sola mulierum vestigia horrescebat, jam vultu constanti lascivientes oculos, nudatumque pectus intuetur; & blando intus operante veneno, prius damnâ patitur, quam periculum senserit. Sic paulatim rationis oculus caligare incipit, postea obæcatur. Sic anima cælo nata affigitur humi, immemor Dei, immemor sui, donec flamma concupiscentiæ semper duraturo incendio absorbeatur. O miseri, quorum fœdæ, & momentaneæ voluptates tam luctuoso exitu terminantur! omnes puto Sardonis herbis saturos esse; moriantur, & rident.

5. Quid quæris, stultus homo, inops proprii consilii, alieni delertor? Voluptates? Deus cælo æternas reposuit. Vis hujus sæculi fallaces, & excludi æternis? Ubi ratio, ubi prudentia? Cælum intuere, & omnes ejus beatissimos cives. Olim panem cum cinere, potum cum fletu miscebant. Vidisses eos in mundo angustiis undique oppressos, sordibus obscuratos, semper lacrymis madidos, semper vigilantes in oratione, extra omnem mundi lætitiâ positos. Viam sibi ad cælum equuleis, gladiis, & crucibus fecerunt. Respice infernum, & desperatam damnatorum turbam, ignibus, tenebrisque perpetuis sepultam. Hi falsa mundi gaudia, carnisque delicias & luxum olim amplexi, nunc serò cognoscunt, quantum sibi nocuerint voluptates. Hæc sedulo contemplare, & si credis, exhorresce. Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat.

6. Quod si etiam in hac vita placet voluptas; cur non magis solida, vera, impolluta, immutabilis, quæ ex animo benè composito venit, ut de tuo te ipsum oblectes? Carnis voluptas mollis est, caduca, fucata; semper mero & unguento madens, & timens publicari. Ejus statio fornices, popinæ, & loca censorum metuentia. Si foris nitet, introrsus misera est. Cum incipit, tum extinguatur, & in ipso sui usu perit.

Voluptas verò animi tranquilla, excelsa, invicta, semper secunda & stabilis, nec satiæ habet, nec poenitentiam. Nullus eam pudor comitatur, nullus sequitur mæror, nec suum unquam possessorem destituit. Hac si frui desideras, omnes carnis illecebræ vincendæ sunt. Vera enim voluptas est, omnem contemnere voluptatem.

CAPUT VI.

De Avaritia: malitia ejus perstringitur. Collatio pauperis, & divitis. Opum fallacia, & vanitas.

1. **H**æc est Avaritiæ pessima fraus, quam prænoscerè debes, ne decipiaris: occultat se; nec ullum reperies, qui se avarum confiteatur. Ille divitias congregat, ut sibi & liberis prospiciat: hic ut pauperum indigentiam consulat: alius ut redimat piis operibus peccata sua. Sed congestum aurum nemo istorum erogat: imò nova semper quærentur, quæ addantur acervo; & dum quærendo teritur tempus, elabitur vita, cui opes quærebantur. Ut ægrorum sitim aqua non sedat, quam sitibundus placido amne fluentem videt, & agitat manu; nisi os admoveat, & gelidos hauriat latices: ita Avarus nullâ re satiari potest; quia menti ejus, in qua residet Avaritia, thesauri, & pecuniæ non possunt illabi. Animam Dei capacem solus Deus implere potest.

2. Congeratur in te, Avare, quicquid omnes locupletes possederunt: ultrà Salomonis opulentiam fortuna te provehat: terram marmoribus, auro parietes, gemmis laquearia abscondas. Non tantum habere tibi liceat, sed calcare divitias. Accedant statuæ, & picturæ, & quicquid ars luxui serviens elaboravit: majora cupere ab his disces. Naturalia desideria finem habent; ex falsa opinione nascentia infinita sunt. Quid refert, quantum tibi in arca, quantum in horreis lateat; si non computas acquisita, sed acquirenda? Toto eget mundo, cujus non explet mundus cupiditatem. Atque utinam considerares, quanta secum mala divitiæ afferant, quanta auferant bona! Invenires procul dubio, quàm vera sit Apostoli sententia; *Radix omnium malorum est cupiditas*. Indè germinant fraudes, indè consurgunt bella; hinc perjuria, hinc proditiones oriuntur. Tolle avaritiam, & non est

B

discor-

discordia: desinat avaritia, & cessat ambitio. Hæc terram latronibus complet, mare piratis, urbes tumultibus, domos insidiis, forum injustitiâ. Quædam nimirum societas, penè etiam nominis, est vitiiis & divitiis.

3. Confer, si placet, inter se pauperem & divitem: cerne vultum utriusque. Hic plenus sollicitudinum, tetricâ facie tristitiam animi prodit: ille serenâ fronte sincerum mentis gaudium ostendit. Hujus, inter ærumnas cor exedentes, bracteata felicitas est; illius mens, mœroris vacua, internæ pacis jucunditate perfruitur. Hic quærendi cupiditate anxius, amittendi metu miserimus, ad omnes fortunæ injurias expositus, quò plus habet plus cupit. Ille in paupertate ditissimus, optat quod satis est, nihil timens; quia nihil habet quod sibi adhæreat, quod sibi eripi possit. Quam lætos dies ducit pauper, quam placidas noctes! Dives autem, æger animi, morbum suum, quocumque pergit, secum trahit, spinis undique circumseptus. Sed lethalis est sopor, qui non sentit aculeos.

4. Audi, miser, cujus inexplebilis avaritia est. Omnibus licet locis testa tua resplendeant: licet immensos pecuniarum acervos possideas: quamvis, ultrâ mare latifundia tua extendantur; veniet tamen, veniet dies ab æterno statuta, quâ hæc omnia simul cum vita, amaro & invito animo deserēs. Abibunt, peribunt hæc omnia; propter quæ pereundum tibi erit. Tunc demum intelliges, quàm contemnenda mireris; simillimus pueris, quibus omne ludicrum in pretio est. Illos reperti in littore calculi leves, & aliquid varietatis habentes delectant: tu circa auri glebas, splendidosque lapillos insanis caridus ineptus. Non dico, ut divitias non habeas, si te Deus divitem fecit; sed ut habeas, nulli detrahas, sine cujusquam injuria partas, sine sordidis quæstibus, sine solitudine, & superflua cura. In domum illas, non in animum, recipias; paratus his carere, cum Deus voluerit. Ille verè locuples est, qui divitiis non eget. Ne expectes, ut fur, vel casus eripiant tibi quæ possides, occupa tu eorum vices, & aufer tibi ipsi animo circa exteriora indifferenti, quidquid alii auferre possunt. Tuus eris, si hæc tua non erunt.

5. Disce à te remove pomam, & cultum victumque tuum non ad exempla compone, sed ut Christiani suadent mores. Potest paupertas se in divitias convertere advocatâ frugalitate. Exiguum natura desiderat, non esurire, non sitire, non algere. Potes habitare sine marmorario fa-

bro; potes vestiri sine commercio Serum. An non sitim extinguet poculum, nisi gemmeum aut crystallinum sit, quo simul bibas & timeas? Gladius non scindet panem, nisi ebur, & margaritæ in capulo niteant? Pelvis fictilis non excipiet manuum sordes? Nec lumen lucerna ministrabit, nisi sit aurificis opus? Auro servit, qui se auro ornari putat. Quanto utilius foret, veras amare divitias, quæ hominem meliorem faciunt; quas nulla fortunæ iniquitas nec ipsa mors auferre potest? Quid pauperiem times, integrum Regnum ferens in corde? Regnum Dei intra te est. Absit ut aliud bonum quæras. Quære bonum tuum. *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Hic tibi possessio & regnum sit, in quo sunt omnia bona, omnes thesauri. Cui Deus totum est, huic mundus nihil est.

6. Quicquid nitidum, quicquid magnum in mundo apparet, inane est, fictitium est, nihil est. Quid miraris cum vides hominem auro, & purpurâ indutum, & magnâ fervorum catervâ stipatum? Pompa est. Ostenduntur hæc omnia, non possidentur: & dum placent, transeunt. Non capio hujus rei fidem à Lycæo, vel à Porticu, non à Cruce Christi, non ab æterna Dei Sapientia; sed ab ipso mundo, ab ipsis vanitatum mancipiis. Audi Amanum opibus, potentiâ, honoribus super omnes tunc mortales eximium. Convocat auditores, & coacto cœtu omnia nihil esse pronuntiat. *Nihil, inquit, me habere puto; & causam adjecit: Quam diu videro Mardocheum sedentem ante fores Regias.* O ludibria, ô cæcitate! Sæpè legi, & audiivi omnia nihil esse collata cum bonis, quæ virtus parit, quæ nutrit æternitas: sed vehementius depressa sunt; coram nihil visa sunt nihil. Nihil igitur facis, si nihil spernis. Spernendum est aliquid quod in te sit, quod aliquid sit. Comprimens cupiditas, ac veluti sub vinculis habenda; ut assuescas colere paupertatem, & usu rerum res ipsas metiri. Facile autem contemnes omnia, si semper cogites te moriturum.

C A P U T VII.

De Ira, Character irati. Effectus, Causæ & remedia Ira.

1. **I** Rascor iræ. Sola hæc ira justa est adversus monstrum rabidum & execrabile; adversus affectum maximè implacidum, & turbulen-